

tus absolute est homo ; ergo omnia prædicata, quæ conveniunt humanitati in abstracto significatæ, prædicantur de Christo sicut ipsa humanitas in concreto, et sic Christus dicitur rationalis, risibilis, albus, crucifixus, flagellatus, mortuus : ergo si adoptio convenit humanitati prout in Christo, quia extra unionem non disputamus, Christus dicitur adoptivus. Hoc tamen semper abhorret Concilium, et pontifex, ut visum est, imo et ipsi auctores, qui hanc conclusionem tenent, negant ; ergo hanc conclusionem debent negare.

ARTICULUS IV.

Solvuntur argumenta contra resolutionem positam in duobus articulis præcedentibus.

I. Arguitur primo : Quia in epistola Concilii referuntur tres sancti archiepiscopi Toletani, quos Elipandus pro sua sententia adducebat. Sic enim habetur columna quarta : « Sequitur in eodem libello vestro : Prædecessores nostri Eugenius, Ildephonsus, Julianus Toletanæ sedis antistites in suis dogmatibus ita dixerunt in missa de cœna Domini, quia per adoptivi hominis passionem. Item in missa de ascensione : Hodie salvator noster, post adoptionem carnis sedem repetit deitatis, et cætera, quæ ex parentum vestrorum posuistis. » Et ad hoc non aliter respondet Concilium nisi dicendo : « Ut manifestum sit quales habetis parentes, ut notum sit omnibus unde vos traditi sitis in manus infidelium, quia hominem Christum, verum Dei Patris Filium esse negastis. Melius est testimonio Dei Patris credere de suo Filio, quam Ildephonsi vestri, et si Ildephonsus

vester in orationibus suis Christum adoptivum nominavit, noster Gregorius pontifex Romanæ sedis in suis orationibus semper eum unigenitum nominare non dubitavit. »

II. Ex quibus argumentum deducitur in primis, quod isti sancti Eugenius, Ildephonsus, et Julianus oppositam sententiam habuere, et quod Concilium eos tamquam non sanctos vituperat, et damnat, et hoc est contra auctoritatem Concilii, et suspectum illud facit.

III. Respondetur, quod illi tres sancti non habuerunt sententiam de adoptione Christi, et de Ildephonso patet clare, quia in libro adversus eos, qui disputabant de perpetua virginitate Mariæ, sic haberet : « Non ergo illum ut cæteros adoptio filios Dei, fecit Filium, sed divinitatis natura illum in proprium Dei Filium exaltavit : » et post pauca : « Nunquam igitur ipse purus homo conceptus, nec natus, sicut cæteri nascuntur infantes, ut ei adoptionis gratia, præstaretur, » ubi clare negat adoptionem Christo.

IV. Nec valet, quod Lorca dicit eum locutum fuisse sensu Nestoriano, quia excludit suppositum creatum. Contra enim est, quod ex hoc quod non sit suppositum puri hominis, sed solum suppositum divinum, arguit, quod non potuit esse adoptivus, et sic potius supposuit fidem contra Nestorium, et ex hoc infert, quod non fuit adoptio in Christo.

V. Præterea : Auctoritas missæ cœnæ non est Ildephonsi, sed Isidori qui composuit missam Mozarabem, et Isidorus libro de doctrina et fide ecclesiasticorum dogmatum expresse excludit adoptionem dicens : « Ut veritas Unigeniti, non adoptione, neque appellatione, sed in utraque nativitate filii nomen nascendo haberet. » Ex quo patet, quod Elipandus falso hoc testimonium inducit, neque in missa verbum tale invenitur,

et quamvis inveniretur, explicandi essent sancti, sicut D. Thomas explicat de adoptione impropria, et largo modo : hic ad primum.

VI. Quod autem Concilium vituperet illos tres sanctos, non minuit auctoritatem Concilii ; tum, quia loquitur conditionaliter ibi : Si Ildephonsus vester, ex suppositione, quod haberent sententiam hæreticam, ut Elipandus asserebat ; tum, quia non erat tam nota sanctitas illorum apud extraneos pro illo tempore, et sic non mirum, quod homines non noti ut sancti, et alias allati pro sententia hæretica, quando illa damnabatur, rejicerentur, et vituperarentur, ex suppositione, quod illam haberent, et ideo Concilium hos sanctos vocat ignotos.

VII. Secundo, arguitur auctoritate aliquorum patrum, qui dicunt Christum fuisse filium adoptivum, ut Hilarius allatus a D. Thoma hic articulo quarto, argumento primo, et idem est de aliis, qui possent adduci, et solutio est D. Thomæ, quod est impropria locutio. Vazquez explicat Hilarium capite xv dicendo, quod non dicit humanitas adoptatur, sed adoratur. Hæc explicatio solum in conjectura fundatur. S. Thomas verbum adoptatur, admittit, et explicat : alios admittit Vazquez sententiam contrariam tenere, sed sine necessitate, cum possint explicari, sicut explicat Hilarium, D. Thomam et Irenæum, Suarez explicat sufficienter, quod non loquitur de Christo, sed de alio quocumque homine, quando dicit : « Qui Filius Dei est, Filius hominis factus est, ut adoptionem percipiens fiat Filius Dei. » Quam expositionem extortam appellat Vazquez ex ipso textu, sed certe textus non recte consonat, si intelligatur de ipso Christo, ut vult Vazquez, quia sensus esset : Quod qui Filius Dei est, factus est homo, ut adoptionem percipiens fiat Filius Dei ; » si

jam erat Filius Dei, quomodo potest fieri Filius Dei absolute, et in eodem sensu sicut sonant verba. Et in hac explicatione Vazquez debent subintelligi duo termini, scilicet, filius naturalis, et filius adoptivus, ut distinguantur duæ filiationes ; melius subintelligitur unus, scilicet homo et sensus erit completus, et verus.

VIII. Tertio arguitur : Fuit donum pietatis in Christo, sed donum pietatis est respectu Dei ut Patris ; ergo Christus comparatur ut filius adoptivus ad Deum Patrem. Major habetur a D. Thoma supra quæst. vii, articulo v, et colligitur ex illo Isaia xi, loquendo de donis comparative ad Christum : *Spiritu scientiæ, et pietatis*. Minor probatur, quia D. Thomas 2-2, quæst. cxxi, art. i, ponit differentiam inter virtutem, et donum pietatis, quod virtus exhibet cultum parentibus carnalibus, et donum Deo ut Patri. Consequentia vero probatur, quia D. Thomas ibidem explicat donum pietatis de filiatione adoptiva ex duplici loco primo ad Romanos viii : *Accepistis spiritum adoptionis filiorum*, sic in corpore ; et ad tertium ex illo Sapientiæ sexto : *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei* ; ergo Christus, vel non habuit donum pietatis, vel si habuit, fuit filius adoptivus, quia filius naturalis, et adoptivus sunt diversæ rationis, sicut et ipsæ filiationes : ergo donum pietatis, quod est in aliis hominibus tamquam in filiis adoptivis, si est in Christo, debet esse tamquam in filio adoptivo, et non ut in filio naturali ; nisi ponatur in Christo donum pietatis diversæ rationis, ac in aliis hominibus, sicut ponitur filiatio diversæ rationis.

IX. Confirmatur : Christus in quantum Filius Virginis potuit adoptari ab alio homine ; ergo a Deo, quia non est major ratio.

X. Si dicatur, quod ab alio homine, cujus non erat filius natura-

lis poterat adoptari, non tamen a Beata Virgine, cujus erat filius naturalis, et similiter neque a Deo Patre

XI. Contra. In quantum Filius naturalis Dei Christus habebat dominium omnium rerum, et jus naturale ad omnia, patet ex illo Psalmi octavi: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, et boves, insuper, et pecora campi*: et ex illo Psalmi secundi: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ*; ergo si non obstante hoc jure naturali ad bona temporalia, potest habere adoptionem, et jus liberum, ex vi adoptionis ad illa bona, si adoptaretur ab aliquo homine, non obstante jure naturali ad hæreditatem, poterit adoptari ad illam a Deo Patre, vel saltem ad hanc temporalem hæreditatem poterit adoptari a Deo Patre, de qua dicit ei: *Postula a me, et dabo tibi hæreditatem tuam*.

XII. Confirmatur secundo: In humanis filius naturalis potest adoptari a patre; ergo in divinis. Consequentia patet a paritate; et antecedens probatur: In aliquibus provinciis secundum jus civile potest pater privare filium jure naturali, et postea illi restituere jus, et hoc est adoptare illum, qui erat filius naturalis: et similiter in aliquibus familiis in fundatione majoratus relinquunt potestas patri, ut majoratum tribuat secundo filio, vel tertio, omisso primogenito; sed hoc est adoptare filium naturalem secundum, verbi gratia: ergo non est implicatio, quod filius naturalis adoptetur.

XIII. Respondetur, quod donum pietatis abstrahit a filio adoptivo, vel naturali, et idem a patre adoptivo, ac patre naturali: sicut etiam virtus pietatis. Filii enim naturales, et adoptivi per eandem pietatem specie colunt patrem naturalem, et

adoptivum. Ratio est, quia filius adoptivus succedit loco filii naturalis in ordine ad eandem hæreditatem, et similiter ad eandem venerationem, et reverentiam exhibendam patri, et per consequens ad eandem virtutem. Similiter est de dono pietatis; quamvis enim sit in omnibus hominibus tamquam in filiis adoptivis, in Christo fuit tamquam in filio naturali, et est ejusdem speciei, quia est ad eandem hæreditatem, et materialiter se habet, quod sit filiatio naturalis, vel adoptiva respectu ejusdem doni, et sic Christus per hoc donum pietatis respicit Deum, ut Patrem naturalem, et alios homines ut filios adoptivos Dei, et fratres suos per affectum.

XIV. Ad primam confirmationem respondetur, quod ut habetur in libro sacrosyllabo columna septima: « Adoptivus dicitur, cui nihil a patre adoptante debetur. » Et quia si Christus consideretur ratione suppositi, non potest dici, quod aliquis homo nihil ei debeat, quia ut sic est Deus, et sic titulus creationis, supremi dominii, et omnia debentur ei; et si consideretur in quantum homo, etiam est redemptor totius generis humani: *Tradidit enim semetipsum pro nobis, et redemit nos in sanguine suo*, et sic titulo redemptionis omnia, quæ habemus, ei debemus, quia omnia amittere usque ad annihilationem meruimus per peccatum, et sic propria adoptio non potest esse in Christo, etiam respectu alterius hominis. Sed dato, quod posset fieri, non est bona consequentia, quod posset adoptari a Deo Patre, quia ab illo a quo habet jus naturale, respectu alicujus boni, non potest habere jus adoptionis, quia eo ipso, quod in quantum pater naturalis tribuit illi jus naturale ad aliquam hæreditatem, tribuit jus quod habet, et sic non relinquatur

locus, ut per voluntatem tribuat jus, quod jam filius habebat. Respectu vero alterius dominii, quod ab alio habente jus ad eandem hæreditatem possidetur, posset adoptari si non est filius naturalis. Cum ergo homines habeant aliquod dominium bonorum temporalium, et possint illa tribuere, possent etiam in honorem, et venerationem Dei, vel Christi, vel Virginis, vel alterius sancti illa consecrare, et hoc potest dici adoptio, sed valde impropria respectu Dei, vel Christi, cui alias debita sunt; non enim omnis donatio, vel largitio elemosynæ est adoptio, ut etiam patet in humanis.

XV. Ad secundam confirmationem, quam aliqui Scotistæ magnificiunt, respondetur facile, negando quod pater naturalis in humanis possit adoptare filium naturalem ad hæreditatem naturaliter illi debitam jure naturæ. Si autem in voluntate patris est aliquid superaddere hæreditatis, hoc est respectu illorum bonorum, ad quæ non habet jus naturale, et ita est in majoribus quando potest secundus filius designari, quia hoc est superadditum ad jus naturale, et potest tribui cuicumque ex filiis naturalibus. Si autem propter delictum potest pater privare filium hæreditate naturaliter debita, etiam potest privare vita juste aliquando, sicut rex potest occidere filium juste propter delicta. Si autem semel ablato jure naturali postea pœnitentia facta illum adoptet, est quasi adoptare filium non naturalem, et tunc melius est dicere, quod neque adoptat, sed reddit illi jus, quod abstulerat.

XVI. Quarto arguitur: Gratia habitualis est forma constituens filium adoptivum; sed in Christo est gratia habitualis, ut docet D. Thomas supra quæstione septima; ergo facit

illum filium adoptivum. Probatur consequentia: Quicumque est capax alicujus formæ, est capax effectus formalis ejusdem formæ; ergo si Christus in quantum homo est capax gratiæ habitualis, erit etiam capax filiationis adoptivæ.

XVII. Confirmatur primo: Christus in quantum homo est creatura rationalis; sed omnis creatura rationalis est capax adoptionis; ergo Christus in quantum homo. Major est D. Thomæ supra quæstione xvi, articulo x: minor posita est articulo primo hujus disputationis: consequentia est bona ex majori.

XVIII. Confirmatur secundo: Ad adoptionem solum requiritur, quod adoptandus sit in natura extranea, vel aliena a natura adoptantis; sed Christus in quantum homo est hujusmodi, quia in quantum homo est suppositum naturæ humanæ, et natura humana est extranea a natura divina, quæ est natura patris adoptantis; ergo est capax adoptionis.

XIX. Respondetur negando, quod filiatio adoptiva sit effectus formalis gratiæ habitualis, quia quælibet filiatio est relatio, et gratia habitualis est qualitas, et sic non potest esse effectus formalis gratiæ, quia non potest qualitas habere pro effectu formali relationem. Et dato, quod esset effectus, erat secundarius, et iste potest separari a forma propter aliquam incapacitatem subjecti. Igitur non est nisi fundamentum, et non quomodocumque, sed gratiose data: in Christo autem, quia est debita, non potest fundare relationem sicut in nobis, vel est fundamentum in subjecto non impedito.

XX. Ad primam confirmationem respondetur, quod nomen creatura significat aliquid quod potest convenire supposito, vel naturæ, et sufficit quod conveniat naturæ, ut cum

reduplicatione naturæ prædicetur de toto, ut ibidem diximus: at vero filiatio adoptiva non potest convenire naturæ, sed solum supposito, et si illud est incapax, quamvis reduplicetur natura, facit sensum semper respectu suppositi, et ideo non potest de illo prædicari esse filium adoptivum.

XXI. Ad secundam confirmationem respondetur, quod adoptandus debet esse in natura extranea secundum illud secundum quod adoptio potest cadere super illud, et quia adoptio in filium non potest cadere supra naturam, sed supra suppositum, quia suppositum solum potest esse filius, suppositum debet esse extraneum, ut posset adoptari, et natura propria illius, non vero natura unita.

XXII. Dices: Natura unita potest facere suppositum, cui unitur intraneum respectu principii, cui ipsa natura est intranea, quamvis suppositum secundum se consideratum esset extraneum tali principio; ergo similiter natura potest facere suppositum cui unitur extraneum respectu principii, respectu cuius natura est extranea, quamvis respectu ejusdem principii suppositum secundum se consideratum sit intraneum; ergo potest facere illud capax adoptionis. Patet utraque consequentia a paritate, quia eadem est ratio, et eodem modo comparatur ad filium naturalem, et intraneum natura intranea, sicut ad filium adoptivum, et extraneum natura extranea, et nulla apparet ratio quare natura intranea possit facere, quod suppositum, quod secundum se erat extraneum fiat intraneum, et capax filiationis naturalis, et quod natura extranea non possit facere suppositum, quod secundum se erat intraneum fieri extraneum per illam, et capax filiationis adoptivæ. Primum antecedens probatur, quia humani-

tas unita Verbo divino facit illud intraneum, et capax filiationis naturalis respectu matris, respectu cuius Verbum ante incarnationem erat extraneum, et sic intentum est, quod eadem humanitas, quæ respectu æterni Patris est extranea per incarnationem trahat suppositum Verbi ad suam extraneitatem, et faciat illud capax adoptionis respectu Patris.

XXIII. Respondetur, quod non eodem modo comparatur natura intranea ad filium naturalem respectu suppositi, quod secundum se erat extraneum, sicut natura extranea ad filium adoptivum respectu suppositi, quod secundum se erat intraneum: et ratio disparitatis est manifesta, quia natura intranea trahit suppositum secundum se extraneum ad suam intraneitatem nihil auferendo ab illo de prædicatis intrinsicis positivis naturaliter illi convenientibus, sed solum quamdam privationem, seu carentiam intraneitatis, quæ carentia auferitur per adventum formæ intraneæ substantialiter illi unitæ. At vero forma extranea ut faciat suppositum, quod secundum se erat intraneum transire ad extraneitatem, debet ab illo auferre illa prædicata positiva, et naturalia per quæ erat secundum se intraneum: et si illa prædicata auferret non maneret idem, sed aliud, quia perderet propriam naturam suppositi.

XIV. Et exemplo allato in replica manifestatur, verbi gratia, Christus est Filius naturalis Patris æterni per divinitatem secundum generationem æternam, et idem suppositum secundum se erat extraneum ante incarnationem respectu Virginis matris; facta autem incarnatione humanitas substantialiter illi unita facit illud intraneum matri, sine eo quod ab illo aliquid positivum auferatur. Sed quod erat permansit, et

quod non erat assumpsit. Et mansit simul intraneum Patri, et matri sine aliqua incompatibilitate; tamen eadem humanitas, quæ est extranea Patri æterno si faceret suppositum unitum extraneum respectu Patris excluderet a supposito Verbi intraneitatem naturalem, quam habebat respectu ejusdem Patris, quia esse intraneum, et extraneum respectu ejusdem includit contradictionem manifestam, quia opponuntur private.

XXV. Et quod sit secundum diversas naturas non tollit implicationem eo quod duæ naturæ non possunt ponere in eodem subjecto formam, et privationem ejusdem formæ simul; sed ex hoc ipso quod una natura ponat privationem alicujus formæ in aliquo subjecto debet excludi forma cuius est privatio, quamvis proveniat ab alia natura ab eodem subjecto, et e contra sicut humanitas ponendo intraneitatem in supposito Verbi respectu matris auferit privationem talis intraneitatis a Verbo et hæc privatio potest auferri, quia non est prædicatum positivum, et essenziale saltem in ordine ad omnipotentiam Dei. Et similiter si humanitas poneret extraneitatem respectu Patris supposito Verbi, quia extraneitas includit essentialiter privationem intraneitatis, deberet excludere a supposito Verbi intraneitatem, quam habet per naturam divinam ex vi generationis æternæ, quod implicat per quæcumque potentiam.

XXVI. Hoc idem in humanis verificatur si posset suppositum creatum terminare naturam alienam substantialiter, verbi gratia, suppositum Petri, qui est filius naturalis Pauli terminaret naturam alienam genitam a Maria, et Joanne, posset quidem esse filius naturalis utriusque, Pauli scilicet, et Joannis et Mariæ, non tamen esse adoptivus respectu

Pauli, quamvis natura sit extranea a Paulo, quia prædicatum naturæ non semper convenit supposito, quia quando in subjecto est conditio repugnans non convenit illi, sicut in Christo natura humana est creatura, et hoc prædicatum non potest tribui supposito Verbi.

XXVII. Et quando dicimus, quod natura potest facere suppositum intraneum, intelligimus eodem modo si suppositum sit capax terminandi generationem naturalem, quia loquimur de intraneitate requisita ad filiationem naturalem; unde si natura divina uniat personæ creatæ illa persona non esset Filius Dei naturalis; quia illa persona non posset esse genita vel terminare generationem æternam Patris, quia implicat hoc creaturæ, et est error Arii, et Persona Spiritus sancti quamvis habeat naturam divinam, non habet intraneitatem sufficientem ad filiationem naturalem, quia non habet illam ex vi generationis.

XXVIII. Dices iterum: Saltem ipsa humanitas posset adoptari, quamvis non ut filia, quia ipsa est extranea, quod est contra secundam conclusionem articuli præcedentis.

XXIX. Respondetur, quod (ut ibi dictum fuit) natura humana trahitur ad esse naturale, et proprium adoptantis, et hæc assumptio, vel unio non potest dici adoptatio, quia non debebat trahere illam ad suum proprium esse, sed relinquere illam in esse alieno et extraneo, ut verificaretur adoptio, igitur est quidem gratia, et magna gratia, sed non omne beneficium est adoptio.

XXX. Arguitur quinto contra rationem D. Thomæ: De Christo dicitur ens creatum ratione humanitatis, increatum ratione personæ, et sic dicitur tale per essentialitatem et per participationem. Et ad hunc modum possunt adduci plura exempla, ut de passionibus